Landesmedicinal Library

DE
INDURATIONE TELAE CELLULOSAE NEONATORUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

MEYER JACOB MEYER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

L. VOLKMAR, jud. camer. Assessor.

E. MOSER, med. et chir. Dr.

M. JAFFÉ, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0072

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

Dr. LEHWESS,

REGI A CONSILIIS AULICIS, ORDINIS LUDOVICI EQUITI, MEDICO PRACTICO ET NOSOCOMII JUDAICI MEDICO PRIMARIO, SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BRUEGGENSIS SODALI HONORARIO, SOCIO ORDINARIO HUFELAND. MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS, MINERALOGICAE JENENSIS ET REGIAE MARCHICAE OECONOMICAE POSTAMPIENSIS,

PATRI

DILECTISSIMO, REGI A CONSILIIS INTIMIS

JAC. ABR. MEYER

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA QUA PAR EST VENERATIONE

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Infantium morbi, qui ex longo jam tempore medicorum sagacitatem atque laborem in se inprimis adverterant, non minori studio per proximos annos observati atque tractati sunt. Utinam dicere nobis liceret, eosdem facilius quoque sanatos esse! Sed ad haec usque tempora illud remansit verum, quartam fere partem omnium infantium primis vitae annis, non omisso medicorum auxilio, morbo consumi. Quamobrem non mirum videatur, quod in nulla medicinae practicae parte inter viros doctos tanta invenitur opinionum differentia, quam in morbis aetatis infantilis tractandis atque sanandis. Sicuti enim hac aetate totus organismus nondum hunc formationis gradum neque tantam variarum functionum energiam, quantam homo habet adultus, adeptus est atque transitorium potius statum demonstrat: eodem modo morborum quoque species non tam certis finibus circumscribendae sunt, ut in nosologia de aliis morbis fieri solet, sed symptomatum pretio

multum detrahatur et ad medici dexteritatem atque judicium transferatur necesse est. Huc accedit, quod coeli varietates in corpora adeo fragilia multo majorem vim exercere debent, quam in homines aetate progressos; quare satis perspicuum est, eundem infantium morbum, variis diversisque terris observatum, magnam saepius dissimilitudinem demonstrare, neque minus ad augendam inter medicos confusionem conferre. Quodsi morbi specie tantum dissimiles a rerum pathologicarum scriptoribus non raro separantur, quamquam faciles tantum a primaria forma declinationes apparent, saepenumero contrarium quoque fieri solet, ut unum pluribus morbosis affectionibus nomen tribuant neque intelligant, quam differentes alienasque res in locum unum congerant. Quod unaquaque ratione ad eum quadrare mihi videtur morbum, quem hocce libello paullulo accuratius pertractare mihi proposui, indurationem telae cellulosae neonatorum; cujus quidem unum tantum ipse vidi casum in Caritatis nosocomio, duce illustrissimo Barez, attamen satis fecisse me putabo, si rejectis omnibus quasi inquinamentis, quantum fieri potuit, integram hujus morbi formam delineaverim.

Cum inter ea, quae sequentur, permultae scriptorum opiniones diversae nobis examinandae sint, non in initio dissertationis morbi definitionem posituri sumus, sed potius, omnibus diligenter circumspectis, eam tamquam cogitationum nostrarum summam construemus. Itaque optimum mihi visum est, historiae persequi cursum. Uzenbezius (1), nosocomii Ulmensis medicus, anno 1718 primus hunc morbum descripsit, quam observationem postea Galliae, Britanniae, Italiae, Germaniae medici comprobarunt, novisque auxerunt. Quem casum, cum omnes posteriores rerum medicarum auctores fundamentum quasi suarum duxerint opinionum, necessario putarem hic repetendum, nisi Lodemann (2) jam satis eum pervulgasset, itaque unicuique loco citato comparandi facultatem dedisset. Atque cum nihil, in scientiis quoque, tantopere attentionem provocare valeat, quam no-

(1) Ephem. Nat. Curios. cap. IX. ob. 30. p. 62.
(2) Hufeland's Journal. B. XXXI. IV. 64.

vissima quaeque, ubique terrarum ejusmodi casus observati atque consignati sunt. Francogallis autem meritum tribuendum est (si quidem nominis inventio grave habeatur negotium), primum novo tam diu anonymo morbo nomen dedisse. Symptomate enim maxime conspicuo, corporis scilicet duritie, adducti, hunc morbum „endurcissement du tissu cellulaire“ nominaverunt. Qui cum frequentissime in „Hôpital des enfants trouvés, Hôtel-Dieu et Hospice de Vaugirard“ Lutetiae Parisiorum obvius esset, feminae, quibus aegrotorum cura mandata est, infantes hoc morbo affectos „des enfants durs,“ vel „des enfants gélés“ appellaverunt (1). Sed extra nosocomia quoque in Gallia, inprimis prope Caletum, singulos casus medici viderunt. Eodem quoque tempore Britannorum scriptores, Underwood (2), Denman et Hulme (3) hujus morbi, „Skin-bound“ ab iis appellati, mentionem

---

(1) Sammlung auserles. Abh. f. praktisch. Aerzte. B. XV. pag. 604 seq.

Hufeland's Annalen der französisch. Arzneikunde.

(2) Underwood, on diseases of Childern. 8. edit. pag. 256.

(3) Mémoire de la Société Royale de Médecine. Tom. VIII. Cfr. Reddelien, Sammlung kleiner Abhandl. u. Beobacht. über die Rose und die Verhärtung des Zellgewebes neugeborner Kinder. Lübeck 1802. pag. 84.

faciunt, sicuti in Italia Petrus Moscati (1), qui plerumque Mediolani eum invenit, atque Paletta (2). Postquam tot observationibus induratio telae cellulosae notissimus exstitit morbus, Germaniae quoque medici animum in eum adverterunt, et Jahn (3), Henke (4), Stütz (5) in scriptis suis casus communicaverunt. Quamquam infantium hoc morbo affectorum numerus nullo modo exiguus est, cum uno in „Hôpital des enfants trouvés" sexcenti fere per annum isto malo consumantur (6): nihilominus tanta exstat inter scriptores differentia, quod ad symptomata atque morbi decursum attinet, ut non dubitem opinionem pronuntiare, cum dissimillimos uno nomine a viris doctis signatos esse morbos, tum puras indurationis telae cellulosae observationes ad morbos referendas

---

(1) Giornal fisic. med. Frebbajo 1793. pag. 152. Cfr. Kühn's u. Weigel's Ital. med. chirurg. Bibl. B. II. 2. pag. 85.

(2) Gerson u. Julius, Journal f. ausländ. Heilkunde. Tom. VIII. Fasc. II.

(3) Jahn, neues System der Kinderkrankheiten. 1803. pag. 159.

(4) Henke, Handb. z. Erkenntniss u. Heilung d. Kinderkrankh. 1809. pag. 143.

(5) Hufeland's Journal. B. XIV. IV. pag. 32.

(6) Ténon, Mémoire sur les hôpitaux de Paris.

esse, qui secundum pathologiae regulas multo aptius aliud nomen sibi vindicent.

Heyfelder (1), qui una cum Breschet (chirurgien en chef) saepissime morbum in brephotropheo Parisiensi observabat, hanc indurationis telae cellulosae speciem depingit. Exstitit morbus praesertim in neonatis primis vitae momentis, plerumque per primos quinque dies, saepius octo vel duodecim horis post partum praeterlapsis. Attamen in infantibus quoque quatuordecim dies natis hic scriptor morbum oriri vidit, et Naudeau aetatem provectam a morbo tueri negat, seque satis frequenter in pueris morbum observasse affirmat. Henke etiam narrat, in puella viginti annos nata post violentam refrigerationem indurationis symptomata exstitisse. Quamquam pathognomonica hujus morbi symptomata in tota corporis superficie animadversa sunt, facillime tamen remotissimae a corde partes primum afficiuntur, ita ut extremitates superiores et inferiores, antibrachia et surae, facies atque genae, collum et genitalia inprimis laborent. Fere semper in suris morbus incipit, quae naturalem amittunt, atque flavum vel fulvum induunt colorem. Secundum Wendt pectus frequens morbi est sedes. Tunc sensim reliquae

(1) Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen. Leipzig 1825.

corporis partes, crura, femora, venter usque ad umbilicum easdem ineunt mutationes, sicuti facies, quae multis in casibus una cum extremitatibus correpta apparet. Tantopere autem caloris gradus deminutus est, ut partes illae affectae tactu exploratae frigoris atque asperitatis sensum edant. Cum enim thermometrum in sanorum atque maturorum infantium ore in 30° R. tollitur, in primo affectionis ortu ad 25—28° R. cadit atque in iis, ubi summum morbus adeptus est gradum, 21° et ante mortem 18° R. tantum demonstrat. Eodem autem gradu, quo calor minuitur, partes affectae ligneam ostendunt duritiem, musculi in ossibus fixi et quasi agglutinati videntur, ita ut removeri non possint, neque digitorum compressione ullum ibi vestigium relinquatur. Carpi et tarsi caeruleum magis a reliquis partibus diversum habent colorem, ac tumefacti apparent, numquam autem duri sunt. Quibus morbi signis solidorum membrorum motus adeo impediti sunt, ut infans tamquam stupefactus jaceat, rarissimeque tantum caput modo ad dextrum modo ad sinistrum latus vertat. Oculi enim ejus sunt clausi, palpebrae superiores tumefactae, facies inflata, genae inprimis glabrae atque splendidae. Respiratio autem difficillima est, neque pulmones commoveri videntur, cum infantes eodem tempore pectoris atque abdominis musculos violentissime agitent. In-

eunte tantum morbo singuli pulsus distinguendi sunt, quamquam tunc etiam debiles et retardati apparent, inter mali autem decursum omnino evanescunt, diutissimeque in arteria axillari animadvertuntur. Infans matris mammam sugere non vult, inquietus est, continuoque lacrimas fundit, ubi sonos emittit, quos Dorfmüller pulli murini clamori comparavit. Fere semper exitus lethalis consequitur ante septimum diem, saepe jam primis viginti quatuor horis. Corpora aperta iis in locis, ubi morbi fuit sedes, telam cellulosam induratam atque serosum, viscidum, glutinosum ostendunt liquorem, cujus color modo flavus, modo griseus apparet. In pingui autem granulationes discerni possunt, quae quo magis rubellus vel caeruleus praevaluit color, vario modo tinctae sunt. Venae nigro atque semicoagulato sanguine scatent, eaeque inprimis medullae spinalis, et quae ad superficiem magis corporis sitae sunt. Haemorrhagias autem frequenter in canali spinali, semel tantum Heyfelder in cerebro observavit. Léger(1) et Berends(2) pulmones sanguine nigro impletos invenerunt, praeterea duros, nigros, interdum quoque eorum hepatisationem. Pneumo-

(1) Léger, Considérations sur l'endurcissement du tissu cellulaire. Paris 1829. Archives générales. tom. VII.

(2) Vorlesungen von Sundelin. tom. IX. p. 159.

niam tamen veram Billard (1) inter septuaginta septem casus ter tantum vidit. Cor magnum et sicuti vasa coronaria sanguine repletum esse solet, colore fusco, auriculae caeruleae, ductus arteriosus Botalli atque foramen ovale aperta vel imperfecte clausa. Hepar magnum, nigrum, sanguine scatens se offert, vesicula fellea atque ductus biliferi nigrum vel viridem ostendunt colorem. Dénis (2) semper post mortem se gatroenteritidem observasse contendit, et Léger l. c. memoriae prodidit, se canalem intestinalem atque nominatim intestina tenuia infantium induratione telae cellulosae mortuorum breviora invenisse, cum contra enteritide affecti longiora exhibeant, quam tamen animadversionem Billard non comprobavit.

Quodsi secundum has observationes Francogalli morbo, de quo sermo est, indurationis telae cellulosae nomen dederunt, hoc non tam mirum est, quam quod aliarum gentium scriptores medici tam temere in verba juraverunt magistri, eosque casus, qui nullo modo indurationis tantum symptomata protulerint, ad nomen illud referendos esse putaverunt. Inter omnes autem, qui hoc de morbo scripserunt, Britanni maxime quod attinet ejus

(1) Billard, traité des maladies des enfants.

(2) Dénis, recherches d'anatomie et de physiolog. path. sur plusieurs maladies des enfants nouveau nés.

signa dissentiunt. Quos cum non fugerit, ipsis longe aliter morbum apparere, magnam operam dant, ut in hujus morbi explicationibus varias medicorum observationes, quantum fieri possit, concilient. Ejusmodi definitio est, quam Copeland (1) magno in opere suo proposuit, quae nullo modo ad morbi speciem strictis finibus describendam idonea videtur. Omnes enim Francogallorum narrationes in eo consentiunt, partes aegrotorum induratas, praesertim extremitates, violaceo, purpureo, saepe quoque sordido colore tinctas fuisse. Idem quoque Stütz (2) vidit. Angli contra colorem totius corporis subflavum ut ceram mollem invenerunt. Schwartz (3) ex albo flavescentem describit, negante tamen Heyfelder se umquam cutem albam conspexisse. Copeland partes affectas frigidas et flavas vel roseo vel livido colore tinctas designat. Secundum aliorum observationem cutis durities tanta est, ut, impressione digitorum exercita, fovea non relinquatur, licet extravasatum quoddam sub tunicis reperiatur. Alii autem dicunt, partes morbo correptas frigidas, tumefactas, sordidas, insensibiles et duras quidem

(1) Encyklopäd. Wörterbuch der praktisch. Medizin, übersetzt v. M. Kalisch. Bd. VI. pag. 537.

(2) Hufeland's Journal. Bd. XIV. IV. pag. 32.

(3) Hufeland's u. Osann's Journal. 1826. Aug.

esse, ejusmodi tamen, ut fortem compressionem et permittant et retineant.

Lodemann l. c. se quoque durissimas infantis partes removere non potuisse contendit, sed non propter cutis atque telae cellulosae duritiem, quae normalem potius habuerint conditionem, neque ullum extravasationis vestigium continuerint. Omnes musculares partes Nodeau, praesertim in extremitatibus, valde relaxatas vidit. Longe se aliter casus habuit, quem supra notavimus. Durities enim infanti propria adeoque conspicua, ad unum tantum musculorum systema referenda erat, ita ut spasmus tonicus omnes fere corporis musculos corripuisse videretur, atque puerulum mortuo similem redderet. Ubique enim noti musculorum spasmo affectorum fines anatomica diligentia circumscribi poterant. Sed alia ratione scriptorum narrationes magis consentiunt. Francogalli scilicet in genis eandem quoque duritiem atque tensionem observarunt, quam saepissime spasmodica extremitatum contractio, interdum etiam trismus sequebatur, quo aegroti impediti fuerunt, quominus nutrimenta acciperent. Apud Britannos quoque spasmi hoc in morbo frequentissime animadvertuntur, et Copeland in utraque quidem ejus specie, quas secundum Chaussier et Dugès proponit, saepius tamen in secunda trismum et opisthotonum

observavabat. Frigus quoque conspicuum corporis, qui hujus morbi mentionem faciunt scriptores, ad unum omnes notaverunt, atque calorem in partibus induratis lege rerum inanimarum sine propria regeneratione propagari perspexerunt. Girtanner (1) interdum morbum congenitum, tum autem cum erysipelate conjunctum invenit. Ita quoque Uzenbezius, sed sine erysipelate, ut quoque Lodemann. Sed variae et discrepantes sunt in scriptis sectionum narrationes. Quae Francogalli observarunt, supra jam attulimus. Semper enim, incisionibus factis, liquorem effluere viderunt serosum, qui secundum Auvity in aqua bulliente coagulatur, in frigida liquidus remanet. Paletta (2) contra fuscum serum invenit, quod non effluxit, ut Britanni quoque numquam effluere viderunt, sed telam potius cellulosam firmam servabat; frequenter sanguinem in telam cellulosam effusum, interdum quoque ne unam quidem seri guttam exsudatam observabat. Liberali (3) telam cellulosam condensatam, arborum cortici simillimam, compressione aliquid seri promittentem invenit. Siebold (4) pingue varias partes

(1) Girtanner, Kinderkrankheiten.

(2) Omodei. annal. univ. di medicine. vol. XXVIII.

(3) Brera, nuov. comment. di medic. e di chirurgia. 1818.

(4) Siebold's Journal. Tom. IV. fasc. 3.

involvens granosum, atque serum sanguine tinctum inter musculos prorumpens distinxit. Hayn (1) sub indurationе telae cellulosae, non satis idoneo nomine, malum praematuri gemini describit, qui mortem, viginti quatuor vix horis praeterlapsis, obiit. Morbi hic sedes in sectione variis in musculis reperiebatur, qui vitri similitudine, fere pellucidi, contracti et tam duri erant, ut sub cultro frenderent et tamquam rapae secarentur. Musculorum autem structura sub microscopio normalem lineae margaritarum formam non praebuit, sed teneris fibris longitudinalibus, quarum singulae compressione sub instrumento adhibita longe ante reliquas prorumpebant, composita visa est. Attamen semper singulae tantum partes musculorum morbosae, ceterae contra sanae atque molles inveniebantur. Inprimis autem musculus rectus abdominis, partim pectoralis major, coracobrachialis, brachialis, biceps et fere omnes flexioni inservientes brachii musculi morbo affecti et valde contracti erant. In parotidis regione pinguedinis massa obveniebat.

Nunc aetiologiam hujus sic dictae indurationis telae cellulosae, secundum varias auctorum observationes, paullulo accuratius perlustremus. Nonnullae quidem hujus

(1) Casper's Wochenschrift. 1842. No. 24.

affectionis species ad contagium syphiliticum relatae sunt, atque nominatim Kopp (1), a Siebold (2), Zimmermann (3) hanc nullis rationibus idoneis sustentatam opinionem defenderunt. Frequentissime autem morbum frigoris vi, in neonatos subito invadente, provocari putaverim, et inter secundum et decimum quartum vitae diem existere solere. Secundum Ratier (4) in brephotropheo Parisiensi per tempus hibernum multo plurimi hujus morbi casus usu veniunt. Sed cum frigidiore anni tempore aër non tam saepe in singula valetudinaria immittatur, hac quoque in re majoris frequentiae causa quaerenda erit. Quamvis quidem Billard eodem in instituto Parisiensi aestate atque hieme non magnam numerorum differentiam invenerit, unum tamen factum a Bigeschi, lechodochii Florentini medico, proditum, si quidem narrationi fidem tribuas, magnam frigoris in generandum hunc morbum efficientiam extra omnem dubitationem ponit. Qui cum morbum asperis hiemis mensibus praevalere sibi persuasisset, neonatos in matrum lectis retineri, et quantum

(1) Bemerkungen, veranlasst durch eine Reise in Deutschland und Frankreich. Frankf. 1825.

(2) Journal für Geburtskunde. Tom. VII. pg. 118 seq.

(3) Julius und Gerson's Journal. Tom. V.

(4) Archives génér. de Médecine. XVII. pg. 42.

fieri posset, foveri jussit; quo peracto ne unus quidem postea casus obvius erat. Souville quoque magnam frigoris vim ad morbi hujus provocationem hac ex re colligit, quod hoc malum in Gallia septentrionali multo saepius quam in meridionali appareat, quam eandem causam remotam Paletta comprobat. Interdum autem noster morbus ad intestinorum affectionem accedit, frequentissimeque cum Ictero se conjungit, ita ut Billard inter septuaginta septem infantes induratione telae cellulosae affectos triginta invenerit Ictero laborantes. Praeter frigus autem insufficientia vel nocentia nutrimenta, sicuti aër vitiatus, in numerum causarum efficacium referenda sunt; neque mirum est, quod respirationis imperfectae functiones apud infantes repletorum nosodochiorum aëri resistere non valeant. Quamobrem infantuli praematuri, vel aliquo modo debilitati, vel qui matrum mammas non sugunt, huic inprimis morbo subjecti sunt. Paletta et Carminati in 40 hoc morbo affectis 29, et in 62 item laborantibus 22 praematuros infantes observarunt, ita ut opinionem pronuntiare non dubitem, frigus magnamque debilitatem frequentissimas esse hujus morbi causas remotas. Diligenti autem rerum medicarum observatori non satis est potentias cognovisse nocentes, quae in singulis morbum provocare valeant; sed verae morbi ipsius naturae

investigandae ejusque sedi inveniendae operam det necesse est. Quod quidem hoc quoque in morbo, quem disserimus, ab omnibus fere scriptoribus hujus materiae factum vel tentatum est, ita tamen, ut opinionem praejudicatam mente jam concepissent, morbum telae cellulosae esse affectionem, quae quidem non primaria existat, sed variis a causis, quales suppeditent sectiones, originem ducat. Heyfelder sanguinis circulatione impedita ejusque oxydatione incompleta exiguum tantum caloris graduu formari arbitratur, ita ut morbus ille oriatur, si sanguis respiratione turbata, duplicem relinquat circulationem atque denuo foetui propriam ineat, quo oxygenio privetur, neque ad ejus formationem jam idoneus sit sanguis. Quodsi respirationis impedimentum transitorium tantum sit, stasin oriri in hepate majoremque bilis secretionem, quae in cute deponatur atque Icterum formet; si contra respirationis functio continue laesa sit, indurationem oriri telae cellulosae. Quamvis sit ingeniosa haec morbi explicatio, nullo tamen modo neque ejus initio neque decursui respondet, quod infra, aliis opinionibus perlustratis, accuratius exposituri sumus. Troccon et Hulme in pneumonia morbi quaerunt naturam; at ea, ut supra notavimus, tam raro obvia est, ut certe non causa efficiens judicari possit. Auvity et Dugès humores serosos fri-

gore condensari, itaque indurationem oriri credunt. At vero tanto opus esset gradu, ut multo prius infantes ipsi frigore extinguerentur. Breschet in sectionibus foramen ovale apertum invenit, atque hac in re mali originem ponendam putat. Sed secundum experientias recentissimo tempore factas inter viros doctos constat, foramen ovale non modo non subito post partum claudi, sed etiam per hebdomades sine ullo infantium incommodo apertum remanere posse, multoque facilius cyanosin quam indurationem provocare. Stütz spasmum telae cellulosae supponit, quam meram hypothesin nemo approbavit. Longe plurimi medici indurationem telae cellulosae atque erysipelas neonatorum eundem habent morbum, neque negandum tantam inter utramque affectionem esse similitudinem, ut intellectu difficile videatur, cur novum malo jam dudum notissimo scriptores dederint nomen. Hoc autem loco conjecturam proferre mihi liceat, quae si comprobatur disquisitionibus posterioribus, lucem forsitan afferet morbo adultorum quoque, cujus natura adhuc minime nota est. Equidem enim non puto indurationem hanc telae cellulosae exitum esse erysipelatis, ut Fischer, Hemmer, Henke aliique posuerunt, sed morbum, ut Francogalli eum depingunt, erysipelas habeo cum tetano complicatum, atque indurationem musculorum (non telae cellulosae)

tetani sequelam. Quod ad primam attinet hujus assertionis partem, similitudinem scilicet indurationis telae cellulosae atque erysipelatis, jam alii auctores, interque eos Underwood, Hufeland et Wichmann (1), idem contenderunt. Neque symptomata incipientis sic dictae indurationis ullam relinquunt dubitationem, erysipelatosum hunc esse morbum. Nam et cutis et telae cellulosae conditio eadem describitur a Francogallicis medicis, quae statum inflammatorium erysipelatosum comitari solet. In utraque enim morborum specie ab uno corporis loco ad reliquas partes malum transgreditur, proprietas, quae uno in erysipelate observatur. At objici posset, in indurationе telae cellulosae complures partes simul morbo affici, neque propagationem continuitate fieri, quam legem semper erysipelas sequatur, ita ut repere videatur. Sed non est, cur eadem potentia nocens, quae unam tantum afficit partem, non plures quoque invadere possit, praesertim cum constitutio epidemia hoc in morbo generando non parvi momenti esse videatur. Purpureus porro vel violaceus color, quem Francogalli et Stütz semper observarunt, nihil aliud quam inflammationem erysipelatosam indicat. Interdum etiam in indurationis telae cellulosae

(1) Hanc opinionem excerptis suis de endurcissement du tissu cellulaire addidit.

descriptione erysipelas adeo conspicuum viderunt medici, ut quasi signum illius morbi pathognomonicum notatum inveniamus. Itaque Andry eo adducitur, ut thesin ponat: indurationem telae cellulosae in Gallia semper cum erysipelate esse conjunctam. Quae cum ita sint, mirum videtur, quod viri doctissimi non rejecerunt symptomaticam indurationis telae cellulosae nuncupationem, neque commutaverint cum erysipelatis neonatorum nomine. Sed si descriptionis, qualem supra exhibuimus, bene memineris, facile intelliges, morbum, ubi sub indurationis appareat nomine, tam conspicuas demonstrare mutationes, ut erysipelas ipsum parum distinguendum sit. Duritiem quidem magnam singularum morbo affectarum partium hujus opinionis defensores ad erysipelas quoque relatam volunt. Dicunt nimirum cum inflammationi universae proprium esse, ut eas, quas invadat, partes induret et condenset, atque humorum accumulatione tumefaciat; tum erysipelati inprimis, ut infiltrationes humorum in tela cellulosa lymphatico-serosorum deponat. Quae tamen explicatio, quamvis sit vera, non ad hujus morbi symptomata quadrare mihi videtur. Nam primum durities in his casibus tanta est, quanta numquam in erysipelate invenitur; deinde inflammationis exitus putari non potest, quia ejusmodi induratio multo serius existere solet quam hic, ubi totus

morbi decursus interdum etiam inter viginti quatuor horas finitur. Ad quod symptoma explicandum secunda assertionis, quam supra proposuimus, pars idonea mihi videtur. Equidem enim credo, infantes hac in morbi specie, paullo post erysipelatosae inflammationis originem, tetano affici, qui praeter magnam corporis duritiem stupidum proferre mihi videtur habitum, quem omnes fere observatores apud hos infantes invenerunt. Si quidem sagacissimi medici auctoritatem laudare liceat, ad suspicionem meam corroborandam, jam Josephus Frank (1), cui quindecim infantes hoc morbo affecti in brephotropheo Parisiensi monstrati sunt, malum sibi magnam cum tetano similitudinem habere videri, libere professus est. Secundum hanc opinionem facilius quoque est intellectu, cur induratio variis in locis corporis simul appareat, quia systematis musculorum affectiones non eandem continuam mali propagationem, qualem morbi cutanei, demonstrant, sed prout diversae nervorum provinciae afficiuntur, passim musculi quoque respondentes morbo correpti inveniuntur. Revera autem in musculis indurationis hoc in morbo esse sedem, ejus rei argumentum unam tantum ab Hayn dili-

---

(1) Joseph Frank, Reise nach Paris, London etc. Wien 1804. Th. I. pg. 72.

genter institutam sectionem, cujus supra mentio est facta, afferre possum, qui musculorum structuram essentialiter mutatam invenit. Quam observationum inopiam, quod attinet musculorum morbos, non in istarum raritate, quam in observatorum negligentia atque securitate quaerere velim. Invenerunt enim telam cellulosam induratam et condensatam, quamobrem hanc primariam habuerunt mutationem, ita ut huic symptomati novi morbi speciem conciliaverint. Induratio autem atque infiltratio telae cellulosae sequelae tantum spasmi continui in organismo infantili habendae sunt. Quamquam enim in adultis quoque trismus et tetanus musculorum ligneam duritiem ostendunt, post mortem tamen non tela cellulosa mutata invenitur. Sed apud infantes humores inter musculos tetano ipso protruduntur, atque in tela cellulosa serosam vel etiam sanguinolentam formant exsudationem, quae, incisionibus in induratis partibus factis, modo profluit, modo coagulatur. Itaque mutationem musculorum actionem vitalem, telae contra cellulosae alienationem mortis actionem nominaverim.

Qua occasione licitum mihi sit, omnium medicorum, quibus facultas datur, multas sectiones in hominibus quoque adultis trismo vel tetano mortuis instituendi, animos in accuratam musculorum disquisitionem advertere, cum

satis inter omnes constet, quam insufficientes et incompleti hoc ipso in morbo fuerint sectionum fines. Quamquam enim bene scimus, medullam spinalem primam hoc in malo affici, hac ex re tamen non colligendum est, maximas quoque hoc in loco mutationes inventum iri. Pathologica scilicet anatomia multo saepius variarum affectionum sequelas quam earum causas inquirit, quia illae plerumque conspicuae sunt atque facilius deteguntur. Eadem quoque conditio est in rerum inanimarum natura, ubi, exempli gratia, corporum gravitatem non in iis ipsis observamus, sed eam nonnisi conspicua lapsus apparitione suspicamur.

Nunc ad reliqua redeamus indurationis telae cellulosae symptomata, quae erysipelatis solius suppositione non satis explicanda sunt. Notatu est dignissimum, apud hos aegrotos in partibus induratis frigus eximium percipi; caeterum cum caloris auctus inflammationis signum sit pathognomonicum, tum inprimis in erysipelate neonatorum hoc semper observatur. Quam igitur a regula exceptionem eo modo interpretor, ut musculorum pectoralium, in quibus morbi saepissime est sedes, spasmo continuo respirationis atque circulationis functio adeo laedatur, ut sanguis non jam ad omnes corporis partes duci possit, atque propterea in earum superficie frigoris sensatio animadver-

tatur. Itaque frequentes congestiones in organis interioribus post mortem invenimus, quas Paletta injuria causam totius morbi atque circulationis habet impeditae, cum jam Baron multo rectius eas morbi quasi externi sequelas judicaverit. Eadem ex tetani suppositione febrem hoc in morbo quoque deficientem derivamus. Nam cum in erysipelate sine complicatione pulsum frequentissimum invenimus, in hac morbi specie retardatus et spasticus cernitur, quod signum mihi cum respiratione laesa in arctissimo connexu ejusque potius consecutio esse videtur. Credo igitur, me sat multis argumentis demonstravisse, indurationem sic dictam telae cellulosae Francogallorum aliorumque auctorum, qui eandem observaverint morbi formam, erysipelas cum tetano complicatum esse habendum.

Nunc ad hanc indurationis telae cellulosae speciem considerandam progrediamur, quae ab Anglis „skin-bound“ appellatur, atque a nonnullis quoque Germaniae medicis descripta est. Casum Uzenbezii, quem Andry quidem indurationem tellae cellulosae habebat, huc referendum esse puto, quia omnia morbi symptomata demonstrat, qualia Britanni narraverunt. Qui casus nullam habent affinitatem cum erysipelate, cum neque rubor cutis inflamma-

torius neque humorum accumulatio vel stasis in tela cellulosa conspiciatur.

Singulare igitur morbi genus haec affectio praebet, quod secundum opinionem nostram tetanus est universalis, quo primarie infantes afficiuntur. Quamobrem apud hos aegrotos ille totius corporis subflavus vel cereus color observatur, id quod eo efficitur, quod sanguis a peripheria ad centra magis fluit, atque congestiones organorum interiorum oriuntur, quae post mortem inveniuntur. Cutis ipsa semper condensata, neque umquam seri gutta in tela cellulosa a medicis reperta est. Neque tam frequenter morbus hic in Britannia occurrit, quam illa affectio, quam supra tractavimus, in Gallia. Cujus observationis causa haec est, quod erysipelas longe saepius epidemium exoritur, quam nervorum morbi simplices, ita ut mali frequentia in Gallia solummodo erysipelate neque complicatione provocetur. Cur autem haec morbi forma saepius in Gallia, illa in Britannia tantum observetur, num a nationum pendeat differentia, dijudicare non audeo. Conjecturam quidem Uzenbezii jam afferam, qui infantes etiam in utero morbo affici posse contendit, atque imaginum et statuarum in ecclesiis contemplationem in

gravidas feminas tantam vim exercere, ut liberos hoc malo affectos parerent.

Quod ad curam attinet morbi hucusque parum cognoti, primum dicendum est, omnia remedia proposita nullum habuisse effectum, rarissimeque tantum sanationis exempla a medicis relata esse. Quamobrem non enumeraturus sum infausta illa a medicis instituta experimenta. Secundum nostram de morbi natura opinionem, tetani curatio maxime animadvertenda est, quae, quam sit difficilis etiam in adultis hominibus, medici non ignorant. Proposuerim tamen hirudines, non, ut adhuc factum est, post aures, sed in medulla spinali ponendas, quia hoc loco plerumque sanguinis invenitur accumulatio. Porro autem inunctiones oleosas totius corporis idoneas habuerim ad musculorum spasmum resolvendum, quod nullo pacto frictionibus vel assis sudationibus efficitur.

Quaestionis igitur nostrae finem hunc ponimus: indurationem telae cellulosae, ut a medicis describitur, complures amplecti formas, aut erysipelas simplex, quocum facillime confundi potest, aut erysipelas cum tetano complicatum, Francogallorum „endurcissement du tissu cellulaire," aut tetanum universalem, „skin-bound" a

Britannis appellatum. Quae si comprobetur opinio, nomen indurationis telae cellulosae cum morbi unius significatione e pathologia expellendum est, quod certe magnum commodum in posterum parabit infantibus, quippe sub falso morbi nomine hucusque tractabantur.

VITA.

Natus ego sum Meyer Jacob Meyer Berolini, die XXIV m. Februarii a. MDCCCXX, matre Betty e gente Riess, praematura morte, proh dolor! erepta, patre Jacob Abraham, quo adhuc vivo intime gaudeo. Fidem profiteor Judaicam. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium leucophaeum frequentavi, quod tunc clarissimo directore Koepke florebat. Matre autem mea mortua, scholam reliqui, quia pater praeceptorem domi habebat, cujus institutione una cum fratribus usus sum per annum. Tum in gymnasio Joachimico, clarissimo Meineke directore, classe secunda inferiori receptus sum, atque per quatuor annos id adii. Dein in universitatem Lipsiensem me contuli, ubi per annum literis operam navavi medicis. Inde Berolinum redii atque inter cives academicos receptus, per tres jam annos medicinae studui, atque virorum illustrissimorum et celeberrimorum hisce interfui lectionibus:

Cel. Hartenstein de logice; Cel. Werder de historia philosophiae; Ill. Kunth de botanice; Ill. Fechner de physice; Ill. Mitscherlich de chemia organica atque anorganica; Ill. Kühn de eadem disciplina; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia; Ill. J. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum ac de physiologia, in qua H. E. Weber quoque praeceptor mihi fuit. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm mihi duces fuere.

Praeterea has frequentavi scholas: Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de medicina forensi; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Cel. Kneske de encyclopaedia medica; Cel. Kluge de arte obstetricia et de akiurgia; Cel. Froriep de akiurgia, sicut de operationibus in corporibus mortuis exercitandis; Exp. Angelstein de operationibus ophthalmicis.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum Schoenlein, Wolff, Dieffenbach, Juengken, Kluge, Casper.

Omnibus his viris honoratissimis quas possum maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione de induratione telae cellulosae neonatorum thesibusque annexis palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Symptomata morborum nonnisi numerorum pretium habent.
2. Pyromania non est.
3. Remedia universalia exstare contendo.
4. Systema morborum esse nego equidem.